



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitularia Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

LXVIII. Praeceptum Karoli Regis, quo villam vocatam ad illum brogilum
confert & donat monasterio Fossatensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

LXVIII.

Præceptum Karoli Regis, quo villam vocatam ad illum brogilum confert & donat monasterio Fossatenfi.

An. 845.
Ex char-
tulario mo-
nasterij
Fossatenfi.

IN nomine sanctæ & individue Trinitatis. Karolus gratia Dei Rex. Cùm locis divino cultui mancipatis ob divinæ servitutis amorem opem congruam ferimus, & regium morem decenter implemus, & id nobis profuturum ad æternæ remunerationis præmia capeſſenda veraciter credimus. Itaque notum sit omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus & nostris præsentibus atque futuris quia venerabilis vir Ingelbertus monasterij Fossati Abba ad nostram accedens sublimitatem, ad memoriam celsitudinis nostræ reduxit qualiter Dominus & genitor noster piæ recordationis Augustus Hludovicus quandam villam quæ vocatur ad illum brogilum ad admonitionem seu deprecationem Aldrici Cenomanensis Episcopi matri Ecclesiæ ejusdem civitatis in honore gloriosorum martyrum Christi dicatæ Gervasij & Protasij imperiali auctoritate reddiderit seu restituerit, ea videlicet ratione ut ab amore Dei & ejusdem genitoris nostri animæ remedium regularis normæ inibi constitueret habitaciones & monachici ordinis aggregaret habitatores; ac proinde per licentiam ejusdem Domini Imperatoris idem Aldricus Episcopus præfatum reverendum Abbatem Ingelbertum precatus est ut sibi commodaret monachos qui secundum patris Benedicti institutionem docerent hujus seculi periculum evadere ipsius doci monachos. Sed quia variis mundi emergentibus calamitatibus rara voluntas raræque devotio genitoris nostri de præmissis loco non plenarium obtinuit effectum, placuit clementiæ nostræ eandem villam à potestate sanctorum præscriptorum martyrum commutare seu concambiare; suprataxatæque Fossato monasterio regaliter conferre seu delegare, scilicet ut prænominati Abbatis prænominarique monasterij religiosorum virorum studio plenarium effectum prænotata piissimi genitoris nostri obtineat devotio. Quocirca hanc præcellentiæ nostræ regalem præceptionem fieri jussimus, per quam cum suis appendiciis memoratam villam quæ dicitur ad illum brogilum plerumque dicto monasterio Fossato in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ sanctique Petri Apostolorum principis structo pleniter conferimus & regaliter firmamus; scilicet ut sicut supra significavimus, proſit ad salutem animæ genitoris nostri, monachorum ibi fiat congregatio, regularisque fervetur perennibus temporibus religio, nihilque ab eadem villa, quam deinceps volumus vocari monasterium filci dominici, aut in qualibet alia parte requiratur aut exigatur, sed quicquid exinde fieri potest in honestatibus ejus loci seu Fossati monasterij, cui eundem locum conjungimus, proficiat in augmentum, cum stipendiis monachorum eorundem locorum proſit in adiutorium, & animæ memorati Domini genitoris nostri Augusti Hludovici præstet remedium. Vnde etiam obſeramus omnes quoscunque post nos in regni hujus

* si quis sperare potest,

gubernatione divina pietas subrogaverit ut ita hanc piæ devotionis nostram imprævaricabilem fervent auctoritatem veluti sua pia jura ab ipsis statuta post se observari voluerint. Quam denique serenitatis nostræ auctoritatem, ut plenioris semper in Dei nomine obtineat firmitatem, more regio manu propria subter firmavimus & de anulo nostro sigillari jussimus.

Signum Karoli gloriosissimi Regis.

Aneas Notarius ad vicem Hludovici recognovit.

Data v. Idus Octobris Indictione v. i. i. in anno v. i. regni Karoli gloriosissimi Regis.

Actum in villa Rautiaco in Dei nomine feliciter. Amen.

LXIX.

Donum monasterio sancti Mauri super Ligerim factum ab Anouwarecho Britone anno DCCCXLVII. cujus mentionem facit Odo in libro de miraculis sancti Mauri cap. 8.

QUicunque fidelium de propriis facultatibus Ecclesiam Dei locupletat usibusque servorum Dei donat, ab eodem largissimo retributore præmia recipiet æterna. Idcirco ego in Dei nomine Anouwarech Britannia provinciam ortus, quæ mihi à Deo revelata sunt pandere volo fidelibus. Nocte quadam, dum lectulo quiescerem, mihi præceptum est per visionem ut ad monasterium sancti Mauri pergerem, quod situm est in pago Andegavenſe super fluvium Ligerem. Quo in loco dum venissem, & pro peccatis meis preces funderem, fratresque vespertinam sinaxim celebrarent, per fenestram vidi ab australi parte altaris angelum ingredi. Hunc sequebatur vir venerabilis præferens habitum Diaconi, qui unâ cum angelo ante altare stetit; convertensque se ad chorum, expansis brachiis iterum se convertebat ad angelum, quasi offerret munera orationum. Angelus autem ab eo suscipiebat, & Deo præsentabat. Finita verò oratione à sacerdote, angelus visus est per fenestram orientalem exire. Diaconus verò ad me venit, & hæc verba dixit: Sæpe hac venio, & quod vidisti facio. Ego verò confidens per merita sancti Mauri peccatorum veniam consequi, trado ad eundem locum in quo hoc vidi, hoc est, ad Glandifolium, partem meæ hereditatis quam habeo in Britannia, hoc est, terram quæ dicitur Anaſt, cum Ecclesia sancti Petri nomine fundata, & capellas eidem Ecclesiæ subjeſtas, excepta Ecclesia quæ est sita in villa quæ dicitur Mirhenella sacrata in honore sancti Martini. In hac hereditate quam dono Deo & sancto Mauro Comes neque Vicecomes nec ulla secularis persona aliquam consuetudinem accipit, sed nec Episcopus in Ecclesiam præter synodalem paratam, hoc est, duos solidos. Donum autem hujus rei est hæc bibliotheca veteris ac novi testamenti. Hoc autem donum mei supradicti alodi Anaſt si quis sancto Mauro quocunque modo abstulerit, per tuo anathemate damnatus pereat in æternum. Amen. Actum monasterio

Ex veteri codice bibliothecæ regie.